



einzelne vorzettel M. III. 1415.

Differt. theol. 201. 36

18
Eudon
de iud.

~~S. III. 15.~~ EX BIBLIOTH.
NATIONIS HUNGAR.

VI-16.

VITEBERG.

SIGNAT. MDCCCXIII.


Index Dissertationum, quae in hoc volumine continentur.

- 1.) M. Mich. Liebentantz, de Magia baculorum, Viteb. 1661.
- 2.) M. Joh. Jozq. Dittelmajerus, de Baculo Moſis, Viteb. 1675.
- 3.) Mich. Döderlein, Praef. Joh. Felu. Villenro, de Baculo Moſis, Viteb. 1680.
- 4.) M. Joh. Jac. Euelogy, de Pafchate Hebraeorum, Viteb. 1678.
- 5.) M. Joh. Caſpar Grauffen, de Columna ignis ac rubis, Viteb. 1707.
- 6.) b. Eufden de ead. Diſſert. II.
- 7.) M. Joh. Frid. Stapelln, de vocula (12) Mar. ad Exod. XVI. 15. Viteb. 1657.
- 8.) M. Mich. Liebentantz, de Manna Iſraelitarum, Viteb. 1662.
- 9.) M. Pauli Bergeri, de Monte Sinai $\Psi\eta\delta\sigma\varphi\omega\mu\epsilon\rho\nu\ \kappa\alpha\iota\ \kappa\epsilon\kappa\alpha\sigma\mu\epsilon\rho\nu\ \pi\omega\sigma\iota.$ Vitebergae, 1707.
- 10.) M. Joh. Jac. Stromayeri Dyſharmoniae Decalogicae, harmonice conciliatae Avoc. Viteb. 1717.
- 11.) M. Mich. Liebentantz, de Cherubim Propitiatori, ad Exod. XV. 18. Viteb. 1661.
- 12.) M. Jozq. Mich. Döderlinus, de Candelabris Iudaeorum facis, ad Exod. XV etc. Vitebergae, 1711.
- 13.) Mich. Liebentantz, Praef. M. Frid. Viccio, de Aaronitici pectoralis inſigni, Urim atq; Thummim, ad Exod. XVIII. 30. Viteb. 1657.
- 14.) M. Nic. Polemannus, de Urim et Thummim, Viteb. 1666.
- 15.) M. Joh. Oelreid, de Urim et Thummim, Viteb. 1677.
- 16.) Joh. Giſtop. Wickmannshauſen, num Lapides impletionum ab Urim et Thummim diſtinctum quid fuerint, nec ne? Viteb. 1701.
- 17.) M. Mich. Liebentantz, de Frontali Aaronis, Viteb. 1662.
- 18.) M. Mich. Liebentantz, de Facie Moſis cornuta, ad Exod. XXXIV. 19. 1660.
- 19.) M. Mich. Liebentantz, de ingreſſu Summi Pontificis in Sanctum Sanctorum.
- 20.) M. Joh. Jac. Seiferheld, de ingreſſu Summi Pontificis in Sanctum Sanctorum. Viteb. 1713.

- 21.) Christian. Alteneck, Praef. Theod. Daffonio, de Coma Hebraeorum licita et interdita, ad Levit. XIX. 27. etc. Vitteb. 1695.
- 22.) M. Christian. Aug. Haufen, Praef. Wichmannsh. de Corpore, figuris figurisq. non creandum, Vitteb. 1698.
- 23.) M. Valentinus ^{Corona Tran-lyberis} Frising, de immolatione liberorum Molochis facta, iuxta Levit. XX. 2. Vitteb. 1579.
- 24.) Adami Vhl, de Pentecoste Hebraeorum. Vitteb. 1668.
- 25.) M. Joh. Helu. Willemerus, de Nominis מלך pronunciatione per legem concessa, Vitteb. 1677.
- 26.) Joh. Christoph. Wichmannsh. de Chebrone Gigantum Domicilio. Vitteb. 1710.
- 27.) Simon Profs, Praef. M. Mich. Beck, de vna magna Cananea. Jenae, 1679.
- 28.) M. Joh. Majus, De virga Aaronis florida, ex Num. XVII. 18. Vitteb. 1680.
- 29.) Joh. Thurzo, Hung. Praef. M. Paulo Bergero, de Montibus Hor et Nebo, Moysi et Aharonis morte et sepultura celeberrimis, Vitteb. 1707.
- 30.) M. Joh. Will. Hilliger, de Dileamo eiusq. Ašina loquente, Vitteb. 1673
- 31.) M. Daniel Vertzckius, de Stella ex Jacob, Num. XXXIV. 15-19. Vitteb. 1694.
- 32.) M. Joh. Helu. Willemer, de Stella ex Jacob oriunda, ex Dileami vaticinio, Num. XXIV. 17. Vitteb. 1678.
- 33.) Eiusd. de ead. Disputatio posterior.
- 34.) Joh. Christoph. Wichmannsh. de porta Kittaeorum, ex Num. XXXIV. 24. 1708.
- 35.) Eiusd. de praefidiariis Leuitarum urbibus, Vitteb. 1715.
- 36.) Andreas Dietzicus, Praef. Hilliger, de vestimentis Israelitarum in deserto, ex Deut. VIII. 4. XXXIX. 5. et Nehem. IX. 21. Vitteb. 1676.
- 37.) M. Georg. Michaelis Caffai, Hung. de genuinis 28 (W) natalibus. Vitteb. 1716. ad Deut. XXXII. 15. Resp. J. S. Fuchs, eius Michaelis filius.

~~IN EXODIUM~~

- 38.) Georg. Patzig, Praef. Sennerto, ad Deut. XXXIV. 5. 6. 7. 8. Viteb. 1676.
- 39.) Andr. Sennertus de Septuae voto, ex Jud. XI. 30. Viteb. 1650.
- 40.) Christian. Meßerschmid, de voto Septuato, ex Jud. XI. 30. Viteb. 1667.
- 41.) Joh. Andr. Seyffart, Praef. Pfeiffero, An Septua filiam suam immolarit?
ex Jud. XI. 30. Viteb. 1671.
- 42.) M. Mied. Christian. Hieroff, de facis Iudaeorum vinculis, in specie,
de voto Septuae, Senae, 1677.
- 43.) M. Christian. Threpte, de vulpe Simsonis, ex Jud. XV. 4-6. Viteb. 1674.
- 44.) M. Joh. Jac. Seiferteld, de maxilla asini, Jud. XV. 15. Tubingae 1716.
- 45.) M. David Theodof. Lehmann, de Simfone molitore, Jud. XVI. 2. Viteb. 1709.
- 46.) M. Joh. Clodius, de ritu exscalceandi, in contractibus olim usitato,
ex Ruth. IV. 7. Viteb. 1672.
- 47.) Joh. Christoph. Wickmannst. de Saule vaticinante, ex 1 Sam. X. 5. 10. Viteb. 1710.
- 48.) M. Christian. Gottl. Schuarzius, de morte Achitophelis ex 1 Sam. XVII. 23.
Viteb. 1704. Diss. prior.
- 49.) b. Einsp. de eadem. Diss. posterior.
- 50.) Joh. Christoph. Wolfius, de Apparatu Philippaeorum bellico, ex 1 Sam. XIII. 5.
Viteb. 1711.
- 51.) Joh. Christ. Wickmannst. de armatura Joliathi, 1 Sam. XVII. 4. Viteb. 1711.
- 52.) M. Henr. Opitzius, de Dauidis et Salomonis Satellitiis, Coethi et Platze,
Senae, 1672.



~~Handwritten signature or scribble~~

Aug VI 16



9.

Q. D. B. V

AVSPICIO RECTORIS MAGNIFICENTISSIMI
SERENISS. PRINCIPIS REGI
FRIDERICI AVGVSTI
DE
MONTE SINAI

ΦΗΛΑΦΩΜΕΝΩΙ ΚΑΙ ΚΕΚΑΤΜΕΝΩΙ
ΠΤΡΙ

PRAESIDE
M. PAVLO BERGERO
FAC. PHIL. ADI.

DISSERET
IO. NICOLAVS HOFFMANNVS

BEYERSDORFFA - FRANCVS
A. D. VI APRIL. c1o 1o cc VII

VITEMBERGAE SAXONVM
PRELO GERDESIANO

AVSPICIO RECTORIS MAGNIFICENTISSIMI
SERENISS. PRINCIPIS REGI
FRIDERICI AVGVSTI
DE
MONTE SINAI
PHLAEGIENSIS KAI KERATMENSIS
HPTI
PRÆSIDE
M. PAVLO BERGERO
PAC. PHIL. ADL.
DISSERT.
IO. NICOLAVS HOFMANNVS
LEVERDORFII-TRAVNVS
A. D. VI APRIL. CL. MCC. VII
PITTEMBERGAE SAZONVM
PREF. GERDASIANO





DE

MONTE SINAI

ΦΗΛΑΦΩΜΕΝΩΙ ΚΑΙ ΚΕΚΑΤΜΕΝΩΙ
ΠΤΡΙ

s. I.



Vix copiosius aequè ac magnificentius de ullo quopiam, quam de SINAI, monte illo Arabiae notissimo, divinatorum Annalium scriptores dixerunt, cuius et religionem, et quicquid in eo factum est prodigiorum, tam amplissimis gravissimisque verbis efferre solent, ut omnes laudes in hunc unicum congestisse videantur. Non, quae mihi argumento esse possint, aut alii autores iam attigerunt, hic cumulare est animus, sufficienter ea tantum delibasse, quotquot Moses, divinus Historiographus, copiose praeclareque de hoc monte, eiusque rebus admirandis, consignavit. Verbis enim conceptis Vates ille, divino afflatu tactus, refert, se ibidem loci miracula visione ad obeundum Prophetæ munus allectum, et ad liberandos in Ægypto fratres a Deo sufficientissime fuisse instructum. His brevi post eductis, et in deserto Sin oberrantibus, eundem montem ex mandato divino aquam abundanter

ter emisisse, quae non solum siti tot hominum restinguendae, sed etiam planities circumiectorum agrorum irrigandae, suffecerit. Nec illud praetereundum, quod, teste eodem scriptore Sacro, non procul a rupe Sinai, Manna, coelestis ille panis, prima vice depluerit, quem universa gens Israelitica, ex defectu aliorum ciborum, per aliquot annos stomacho latranti commode obicere poterat. Quid? quod victoria insignis, quam gens Deo dilecta, de hostibus suis, Amalekitis, nempe, reportaverat, maxime hunc montem nobilitasse, et praeter ceteris conspicuum posteritati reddidisse, constat. Tandemque, quod primo loco ponendum, maximamque venerationem huic monti attulit, diserte Moses narrat, quod gens sacra, sub radicibus huius montis tempore quodam collocata, Deum, horrifico apparatu in cacumen eius descendentem, viderit, Legemque suam, fumo et igne, fulmine et tonitru, clara voce pronunciantem audiverit, quae res in tantum aestimanda, in quantum constat, quod ipsi Israelitae, non sine admiratione, ac tremore animi, spectaculo huic interesse, illiusque vim sustinere potuerint, ex quo etiam iure meritoque *ψηλαφώμεν* καὶ κεκαυμένον περιῖ appellatur, uti in progressu, Deo benevole annuente, uberius a nobis deducetur.

§. II.

Sed paulo propius hunc montem attingamus, cuius situm primo omnium contemplari lubet. Est Sinai, omnium Historicorum fide, in Arabia deserta situs, et, Josephi sententia, omnium istius regionis altissimus: *ὁ ψηλότατος*, inquit, *Ἰάν ἐκεῖ ὄραν Ἰουγχανόν, καὶ διὰ τὴν ὑπερβολὴν τῶν μέγεθός, καὶ τῶν κρημνῶν τὸ ἀπότομον ἀνθρώποις ἔσ μόνον ἐν ἀναβατῶν, ἀλλ' ἔδὲ ὡραθῆναι μὴ δίχα πόνος τῆς ὄψεως δυνάμενοι.* Testis quoque est Io. Boccatus, de Montibus f. 138. *Sinai, mons est in regione Madya super Arabiam: qui et Coreb et Ereb aliquando sacris in literis nominatur. Hic excelsus plurimum est, et altitudine ceteros superare videtur.* Nec aliter de eo disserit Pet. Belonius, Observ. L. II. c. 61, et seqq. *Sinai, inquit, Orebo multo altior est, et quemadmodum mons Arbos umbram in Lemnum pro-*

icit,

icit, quando Sol occasus proximus est: sic mons Sinai Orebum ob-
umbrat Sole oriente. Undequaque cinctus est montibus, multoque
est editior monte Oeta in Graecia, aut Ida in Creta; sed meo iudi-
cio, non aequat altitudinem montis Olympi Phrygiae. Attamen eo
usque assurgit, ut facie ad meridiem versa, facile duo littora Ara-
bici sinus cerneremus, eumque in arcum flexum videremus etc. Vi-
deantur insuper Christianus Adrichomius, in Theatro ter-
rae S. Franciscus Quaresmus, in Euicidatione terrae S. p. 83.

§. III.

Duo huius montis esse iuga, quorum alterum חורב
Choreb, alterum סיני Sinai, appellatur, Scriptores Palaestinae,
qui illius mentionem iniiciunt, ad unum ferme omnes testan-
tur. Duo sunt, inquit Petrus Vallensis, Part. I. Ep. XI. Cai-
ro scripta, montes uno in loco, hoc est, Horeb et Sinai, qui ambo
nascuntur, ut ita dicam, ex radice una, et dividuntur postea iugis,
quo alius ascenditur. Sunt, qui distinguunt inter partem
Orientalem, et Occidentalem, quarum illa dicta fuerit Sinai,
haec autem Choreb. Vide Pet. Belonium loco laudato. In
descriptione deserti Pharan, quae extat apud Adrichomium,
ita distinguuntur hi duo montes, ut Sinai magis assurgat, de-
primatur autem magis Choreb, sint tamen continui. Io. Bocca-
tius de Montibus f. 1376. vocat Choreb partem montis Sinai.
Oreb mons Madian: et, ut quidam dicunt, pars est montis Syna, et
in eodem rupes ostenditur: quae petra dicitur: ex qua virgae ictu,
divino tamen munere, Moyses aquas eduxit populo sitienti. Hierony-
mus, de locis Hebraicis, ait, montem Choreb eundem esse
cum monte Sinai. Choreb, mons Dei, in regione Madian, iuxta
montem Sina, supra Arabiam in deserto, cui iungitur mons et de-
sertum Saracenorum, quod vocatur Pharan. Mibi autem videtur,
quod duplici nomine idem mons, nunc Sina, nunc Choreb vocetur.
Certe Josephus nusquam in libris suis mentionem facit mon-
tis Choreb, sed tantum Sinai, etiam locum, a divino Scri-
ptore Choreb dictum, quo mirabilis Θεοφωτα in ardente ru-
bo primum Mosis facta est, montem Sinai appellat. In eo ipsi
Stephanus suffragatur. Act. VII, 30. ὡφθη αὐτῷ ἐν τῇ ἐρημῷ

τῷ ὄρει Σίνα ἄγγελος κυρίου ἐν φλογὶ πύρος βάλει, *apparuit illi in deserto montis Sina Angelus etc.* Etiam Scriptura non raro haec loca permiscet, et mox montem Sinai, mox Choreb, designat, quo Deus Legem suam promulgavit. Ut ex *Deut. V, 1.* et *XXIX, 1.* *1. Reg. VIII, 9.* *2. Chr. V, 10.* videre est.

§. IV.

Ceterum Choreb erat arenosus, et parum fertilis, multis ex faxis et rupibus compactus. Quod eius nomen haud obsecutus indigitat. Oritur enim a verbo חרר, quod notat *exsiccatum fuit, exaruit, sicut fons, fluvius, mare.* ut *Pf. CVI, 9.* *Gen. VIII, 18.* *Iud. XVI, 7. 8.* Nec obstat, quod *Io. Clericus* urget, *Comment. ad Exod. III.* Chorebum, teste *P. Belonio*, hodie fontibus abundare; ex quo colligit non propter *siccitatem*, sed propter *desertum*, nomen חרר huic monti esse factum. Nam contrarium evincit *Historia Mosis*, commemorans, *Israelitas in desertum Sin*, non procul ab hoc monte venientes, sitim ingentem fuisse expertos, et procul dubio periisse, nisi Deus insigni naturae miraculo eam mature extinxisset. Ipse *Exod. XVII, 6.* confitetur, utrumque iugum initio siccum fuisse, tam Chorebum, quam Sinai: postea vero Chorebum irriguum fuisse. Distingvenda itaque sunt tempora, et concordabit Scriptura. Alterum vero montis iugum, סיני *Sinai* dictum, rubis et spinetis erat refertum, inde etiam denominationem accepisse liquet. Nam סנה notat *rubum, rubetum*; Unde et ipse *Hieronymus*, ad *Fabiolam de XV. mansionibus, Sinai* interpretatur *rubi*.

§. V.

In iisdem finibus erat desertum magnum, in quo filii Israel per XL. annos vagati fuerant. Varia sortitur nomina ex locis adiacentibus, et mox סור *Sur*, mox סין *Sin*, modo סיני *Sinai*, modo פרן *Paran*, appellatur. Primum mentio fit deserti סין *Sin*, *Ex. XVI, 1.* quod est inter *Elim* et *Sinai*, uti *Historia S.* eius rei fidem facit. Fuerunt autem duo deserta eiusdem fere nominis, nisi quod in scribendi ratione aliqua differentia reperiat. Vocatur enim aliud desertum, in

in quo petra percussa dedit aquas, *Sin*, sed per *Zade*, Num. XXI, 1. Hoc autem scribitur per *Samech*. In illo fuit mansio XXXIII. in hoc vero XIII. tantum. Mentio fit Ez. XXX, 14. 15. urbis שִׁן ab Ægyptiis dictæ, qua voce significatur *lutum*, quam postea Graeci πηλόςιοι vocabant, ut annotavit *S. Bochartus*, Phaleg. Lib. IV, c. 27. et ex eo *Io. Clericus*, in Dissert. de Lingua Hebraica. Eius nomen, quippe Graecum, από γῆ πηλῆς, *luto*, nempe, recte ducitur, quod in luto solo condita esset. Ut testatur *Strabo*, Lib. XVII. p. 552. Cum vero Pelusium hinc remotissimum, ad ostium Orientale Nili, fuerit, dubitat vir doctus in Comment. ad Exod. h. l. an hoc desertum ab ea urbe nomen trahat? nec immerito. Nam non facile a remotis urbibus tractus quidam nomen accepit. Quare autem ei solitudinis parti nomen *Sin* impositum fuerit, se ignorare profitetur. Forte fuisse illic aliquod *lutum*, quae est Syriaca vocis שִׁן significatio. Nos facile ipsi assentimur, cum non ignoremus, nihil esse obscurius, quam veteras locorum origines indagare.

§. VI. Quobus autem miraculis hic locus imprimis illustris est. Nam cum populus Israeliticus fame premeretur, et contra Mosem, ducem ac principem suum, murmurarent, Deus, exaudiens preces Mosis, necessitati subvenit famelicorum, eosque sub vesperam illius diei *Coturnicibus*, et postmodum singulis diebus *Manna*, nutritiv. Quod Moses his verbis, Exod. XVI, 8. consignavit: וַיִּרְבֹּב וַתֵּלֶן הַשֶּׁלַּיִם וַתִּכְסֶּה אֶת הַמַּחֲנֶה וּבִקְרֹר הַיָּתֵה שָׁכְתָה הַשֶּׁלַּיִם כִּיבִיב לַמַּחֲנֶה: Factum est vespere, et ascendens coturnix cooperuit castra: mane quoque ros iacuit per circuitum castrorum. Dubium oritur de vocabulo שלו *Selav*, quid significet. Plerique volunt esse avem pingvissimam, quam *coturnicem* vertunt. Ebraei putant, nomen esse generale, et comprehendere coturnices, perdices, attagenes, et phasianos. *Io. Ludolphus*, vir doctissimus, in Historia Æth. Lib. I. cap. 13. §. 96. significationem vocis שלו in captivitate Babylonica intercidisse existi-

existimat, et multis argumentis *locustas* intelligendas probare nititur. Verum magis speciosum est, quam solidum, quod adversus communem sententiam affert, et, si verum dicendum, meris coniecturis vir eruditus nititur, quae tamen ita comparatae sunt, ut tam illustre miraculum penitus enervare videantur. Nam quid ponderis est in eo, cum hariolatur, „significationem vocis שלו in captivitate Babylonica intercidisse: item, Orientales forte Mosis mentem non recte „percepisse. Probandum enim est, quod vocis intellectus interiorit: rationibus etiam ostendendum, eos tam rudes fuisse, ut Mosen non intellexerint. Eiusdem farinae est, cum pergit: „ventum spargere potuisse Locustas, instar pluviae „aut arenae, circa castra: Coturnices vero non potuisse sine „miraculo. Similiter, agi quidem in eam Arabiae partem, in „quam tendebant Israelitae, coturnices vento potuerint, sed „quid obstitit, quo minus avolarint? aut quomodo sint vento „subito in terram afflictas? Haec, aliaque longe plura, prolixè refutare non operae pretium esse arbitror, cum quilibet vim atque pondus eorum persentiscat.

S. VII.

Io. Clericus, Comment. in Pentateuchum, hoc loco, quodammodo eius vestigia premit, et quamvis in interpretatione vocem *coturnices* retineat, tamen tergiversando magis in alteram propendet sententiam. Idcirco etiam quasdam coniecturas affert, quae, licet parum virtutis et roboris habeant, tamen colorem sententiae superinducunt. Sic enim loquitur: *Non dissimulamus, vocem שלו si derivetur, cum s. Bocharto, a שרה quod sit abundare, cum שררה Schalvah עוֹרְוִיָאֵן significet, Pf. CXXII, 7. nomen id non modo optime convenire locustis, cum ingens sit locustarum copia, sed etiam, שרו ea admissa etymologia, Synonymum fore vocis ארבה arbe locusta, quae derivatur a רבה multiplicatus fuit. At, multa sunt, quae obstant. Primo, tamen ש & ש finit literae unius organi, ideoque facile permutari possunt, non tamen facile sunt confundendae. Itaque in quaestione est, an vocabulum שרו derivan-*

derivandum sit a radice שלה *Sebala*, nec ne? Deinde sit illud, non tamen verbum שלה *abundare* significat, sed quotquot loca in Script. occurrunt, notionem *quietis*, vel simile quid, indicant. Et ex his patet, nomen שלה Pf. CXXII, 7. etiam huc non pertinere, cum illud non *abundantiam*, sed *quietem* significet, ut alia Script. loca, et ipse contextus, satis confirmant. Eiusdem notae est coniectura, quam Num. XI, 13. in medium affert, putans ex Hebraica voce שלה *baschlav*, factam videri posse Graecam ἄττελαβ, quae certum Locustarum genus significat. Omnibus enim constare, ש et ה seu S et T. mutari in omnibus paene linguis. Similiter ו et ב seu V consonans et B misceri notissimum esse. Nihil ergo mirum esse, si pro *baschlav*, addita Graeca terminatione, dixerint ἄττελαβ. Sed haec durior est Etymologia, quae magis Cabbalistica, quam Critica. Longe convenientior derivandi ratio S. *Bocharti* nobis videtur, qui hanc vocem, ex ἄττεν, *saltare*, et ἔλαφ, *cervus*, deducit, quippe quae cum motu illarum convenit.

§. VIII.

His de causis communem vulgaremque sententiam sequimur, illamque avium speciem, quam *coturnices* appellant, vocabulo שלו significari non dubitamus. Et quidem ideo, quod in Scriptura nusquam, nisi in hac historia, adhibetur, ut Exod. XVI, 13. Num. XI, 31. Pf. CV, 40. Etiam in alijs linguis Orientalibus vox satis trita est, et notione ista semper venit. Imprimis autem, cum Hieropsaltes vocabulum שלו per dictionem עוף כנף *aves alatas*, Psalm. LXXVIII, 27. explicet. Cum quo etiam Scriptor Libri sapientiae, Cap. XVI, 2. 3. XIX, 12. qui LXX. Interpretes secutus, aves istas ὀρνιθολογίας appellat. Nec non *Philo*, de vita Mosis, Lib. I. Ut et *Iosephus*, Lib. III. Antiquit. qui tamen habet ὀρνιθολογίας *conturnicum multitudinem*. Praeter causam vero Cl. *Clericus*, coniecit, Iosephum ὀρνιθολογίας et ὀρνιθολογίας propter affinitatem miscuisse. Nec obstat, unde tanta coturnicum

B

copia

copia in castra Israelitarum adducta sit, ut circa illa amplissima iter quaqua versum tegerent, cum totius orbis coturnices hanc in rem vix sufficere videantur. At exinde stupendum Dei miraculum, et singularis eius potentia agnoscenda est. Nam, qui illud ante promiserat, ille etiam facile hoc implere poterat, cum apud ipsum nullum verbum sit impossibile, dicente Angelo, Luc. I. Utrum vero de novo fuerint a Deo creatae, an ex locis cultis undiquaque divina potentia in castra Israelitarum adductae, id in medio relinquimus. Certe, Sam. *Bochartus*, Hieroz. Part. II. Lib. I. c. 15. multa Veterum loca affert, ex quibus liquet, coturnices immuni numero volare. Circa Rhinocoluram, quandoque ingentem copiam coturnicum capi, auctor est Diodorus *Siculus*, Lib. I. p. 55. Etiam *Iosephus*, Antiquit. Iud. Lib. III. c. 1. vult, coturnices e regione trans Arabicum sinum sita advolasse. Constat insuper coturnicibus nihil vilius in Aegypto fuisse: qua de causa sale condiebantur, ut servari possent. Vide *Is. Casaubonum*, ad Athenaei Lib. IX. c. 11.

§. IX.

His ita expensis, ad alterum miraculum, de *Manna*, cibo coelesti, quod fufius a Mose describitur, progredior. Appellatur hic cibus מן *man*, quia, cum vidissent Filii Israel, dixerunt ad invicem מן הוּא *man hu*. Interrogative accipiunt *Is. LXX*, Chaldaei Paraphraetae, Philo, *Iosephus*, Origenes, Theodoretus, Cyrillus, et fere omnes veterum. *Io. Clericus* vero hanc sententiam ex Grammatica oppugnat. Nam dicendum fuisset מה היא *ma ha* aut מה זאת *ma za*. *Piscator* et *Drusus* observant, מן esse Aegyptiacum, et idem, quod מה in lingua Ebraeorum. Alii volunt esse Chaldaicum מן sed alii excipiunt, esse quidem Pronomen interrogativum personae, non vero rei. *Genebrardus* vult, Syriacam esse vocem, quia Poëtae sacri Syriaca captant. Plerique, tum Iudaeorum, tum Christianorum, a radice מנה quae in Piel מנה *minna*, derivant, quasi idem sit ac מנה *mana* destinata portio; vid. *Io. Buxtorfius* in Dissert. de *Manna*, Cap. I. Vir eruditus et hoc reiecit, cum sit

fit sine exemplo, et sequentia obstant, ubi dicuntur Israelitae ignorasse, quid esset. Quis enim sit sensus, donum hoc est, nesciebant enim, quid esset? Propterea arbitratur, multo verisimiliorem esse eorum sententiam, qui putant, Israelitas, cum viderent humum testam hoc coelesti pane, nescirentque quid aliud esset, iudicasse esse Mannam ordinariam, qualis in Ægypto notissima erat propter similitudinem, sive quod Manna referret, quamvis revera non esset. Verum idem inconveniens, quod pace eius dixerim, et ex illa interpretatione oritur. Quis enim est sensus, Manna est, quam iam in Ægypto vidimus, nesciebant enim quid esset. At litem meam non faciam, quisque suo abundet sensu. Ad me quod attinet, facile subscriberem sententiae illorum, qui dicunt Syro-Chaldaicam esse vocem, siquidem in Dispp. Gemaricis saepius huiusmodi dictiones, *Mani, Mano* i. e. *iuxta quem est haec sententia?* qualis haec est sententia? occurrunt.

§. X.

Videamus potius, quomodo a Spiritu S. in Historia S. hic coelestis cibus describatur. Dicitur (α) de *Man*, quod fuerit רך ככפר *contusum sicut pruina*. Ex. XVI, 14. (β) minutum כורע בג *instar seminis coriandri*. v. 31. (γ) מחרספס *mbhusphas* v. 14. quam vocem Interpretes varie vertunt. δ LXX. habent $\omega\sigma\epsilon\iota$ *νόπιον*, ut v. 31. *Onkelos* מקלה *mkallaph, decorticatam*. David Kimchi, *rotundum*, quem sequitur *Schmidius*, in *Versione*, aliique plures. Vir antea laudatus vertit *molle*, quem significatum petiit a Chaldaeis, quibus חספה *argillam, lutum*, sonat, ut חספה *bbasipbon* Arabibus *terram mollem*. Praeterea ex P. *Belonii* Observat. Lib. II. c. 65. ostendit, Coloieros, (nempe, qui Sinam montem incolebant) habuisse mannam duplicem, *liquidam*, quam vocarint *Terenjabin*, et mellis instar in testis asseruari, aliam *albam* et *duram*: utramque Cairi in officinis venalem proficere? Posteriores vero signari colligit ex v. 21. ubi Sole liquefacta dicitur. At enim vero, ut nihil dicam de eo, quod hanc Mannam cum naturali confundat, id saltem urgeo, quod significatio ista cum proprietatibus haud conveniat, quae in

Scriptura Mannae assignantur. Siquidem Num. XI, 18. dicitur, quod similis fuerit femini coriandri: item, quod sit contusa, sicut pruina super terra. Ex. XVI, 14. Imo, quod eam molis molere, aut in mortario contundere deberent. Israelitae Num. XI. 8. Quae aperte pugnant cum cruditi viri sententia. (δ) Additur, quod colore fuerit *album*, sive *flavum*; Nam speciem eius fuisse *sicut speciem bdellii*, ait Scriptor divinus, Num. XI, 7. כעין הברלה *et oculus eius, ut oculus bdolabb. עין* hic significare faciem externam, aut colorem, extra controversiam positum est. Sic Exod. X, 3. Prov. XXIII, 31. Quid autem ברלה quo *Manna* comparatur, notet, non usque quaque constat. *Salmasius*, et cum eo *Clericus*, *Bdellium* intelligunt, idque ex affinitate vocum, ac colore *Bdellii* colligunt, quod albore fuisse subflavo ex Veteribus ostendit Cl. *Salmasius* in Plinianis Exercitationibus, p. 369. et 809. seqq. p. 329. Duplicis enim generis est *bdellium*, *Bactrianum*, seu *Indicum*, idque nigrum esse docet *Dioscorides*, et *Saracenicum*, quod colore mannam refert. Videatur etiam Cl. *Clericus*, Comment. in Num. XI. p. 329. Consentit *Iosephus*, Antiq. Iud. Lib. III. c. 1. ὁμοιον, inquit, τῇ ἀρωμάτων βδέλλῃ: simile erat *bdellae*, quae est ex aromatibus. *Sam. Bochartus* vero, Hieroz. Part. II. Lib. V. c. 5. contendit, ברלה esse *margaritam*, non *Bdellium*, in quo Iudaeorum doctores sequitur, et in eorum locis proferendis occupatus est. Et forte nomen utrumque notat, tum *margaritam*, tum *lacrymam arboris Saracenicae*: et hoc, propter colorem et similitudinem margaritae. Nam describente *Dioscoride*, Lib. I. c. 80. βδέλλιον δάκρυον ἐστὶ δένδρον Σαρακενικὸν διαυγές, ταυροκολλῶδες. *Bdellium*, lacryma est arboris Saracenicae, quod pellucidum, et taurino glutini simile. Certe Gen. II, 8. aliud quid, quam resinam arboris significare, circumstantiae textus docent. Nec Rabinorum consensus temere sperni potest. (ε) Denique quod ad saporem spectat, gustui valde gratum fuisse innuitur. Dicitur enim Ex. XVI, 4. gustum eius fuisse כצפוחה ברבש *sicut placentae melle subactae*. Attamen difficultas est in eo, qui sapor Mannae hic dici queat, fuisse instar mellis, cum Num. XI, 8. confe-

conferatur לשמן השמן *succo olei*. Quam ita solvunt *Aben-Esra* et *Abarbenel*, in h. l. Mannam scilicet, comestam prout deciderat in terram, fuisse dulcem instar crustulae mellitae; coctam vero, saporem habuisse instar succi olei. In Rabbiorum scriptis crebro dicitur, Mannam singulis saporem, ad vorum comedentium praebuisse, qua de re vide *Io Buxtorffium*, *Hist. Mannae*, Cap. III. Et in vetustissimo libro מורה in *Exodum* scribitur, quod Manna omnes habuerit sapores, imo odores emiserit omnium aromatum Paradisi, quod adeo corpus roborarit, ac si omnibus perfusum fuisset odoribus. Verum haec, aut sunt figmenta Iudaica, aut dicta hyperbolica, et benigne interpretanda. Posterius illud probarem, nimirum hoc voluisse doctores illos, magnam fuisse Dei erga populum benignitatem, qui panem illum dederit, omnium ciborum virtutes habentem, et eius nutrimentum promoventem, ac si delicatissimum quemque cibum comedisset. Nam veritati non est consentaneum, eos tam audacter Script. voluisse contradicere, quippe quae non semel Israelitarum murmurationem animadvertit, cum dicerent, *anima nostra arida est. Utinam haberemus pepones, porros etc.* Videatur *And. Rivetus Tom. I. Oper. Theol. p. 986.*

§. XI.

Ex his commemoratis proprietatibus *Cl. Salmasius* conicit, Mannam Israeliticam fuisse naturalem, qualis multis in locis reperitur, et proprietates aliquas habet, non multum alienas ab hoc coelesti dono, ideoque miraculum non in rei ipsius nova substantia, sed in eo tantum fuisse putat, quod ad praescriptum quotidie caderet: quod affatim, et quantum sufficeret, tantae multitudini nutriendae, quod omni tempore anni, non autumno tantum. Verum in eo fallit et fallitur, cum discrimen inter Israeliticam et ordinariam Mannam essentiale detur. Haec enim gummi est, certo tempore anni ex certis arboribus defluens, aut ex foliis certarum arborum excussum, neque usquam in terra invenitur, nisi sub iis arboribus; Manna vero Israelis e nubibus demissa, ros fuit in-

tatus, et divino miraculo effectus. Ideo *eibus Angelorum a* Psalte, Pf. LXXVIII, 23. appellatur; i. e. singularis, excellens et admirabilis, ut 1. Cor. XIII. eadem loquendi ratio occurrit. Item *frumentum coelorum*, singulari Dei opere praeparatum, in S. Scriptura ubique depraedicator. Accedit, quod in crastinum servata corrumpabatur, et ad solem liquefiebat, cum ordinaria Minna diu conservari possit, et potius sole incrascescat. Insuper cessavit, postquam Iordanem transierunt Israelitae; qua de causa iubetur Moses custodire illam in futuras retro generationes, ut posterius nosse possint panem, quo Deus aluerit parentes eorum in deserto.

§. XII.

Sed ex hoc deserto, tanquam diverticulo, ad *montem Sinai* nobis redeundum est, ubi tot miracula, tot apparitiones Dei illustres factas esse Historia S. commemorat, ut haud dubie ea de causa mons iste *Sanctus*, Pf. LXVIII, 18. et *mons Dei*, Ex. III, 1. et IV, 27. et XVIII, 5. et XXIV, 13. Num. X, 33. 1. Reg. XIX, 8. cognominatus fuerit. Primum *Θεάμα εκπληκτιώτατον* erat, quod Mosis, divino vati, obtigit, cum oves pasceret Iethronis, foceris sui. Exod. III, 3. Nam Angelus Iehovae Mosis *לבת אש* in *flamma ignis* apparuisse dicitur. Deus olim *πολυμερῶς ἢ πολυτρόπως*, multis variisque modis, se se manifestabat hominibus. Ebr. I, 1. aliquando in somno, aliquando in vigiliis: mox in aenigmate, mox in visione: interdum cum horrore, aliquando svavi ratione. Abrahamo in forma viri comparuit, et cum ipso collocutus est; At Mosis, cum fulmina legis populo annunciare deberet, sub fulmine et igne se conspiciendum praebebat.

§. XIII.

Sunt, qui per *מלך יהוה* *angelum Iehovae*, non Deum ipsum, aut Filium Dei, Angelum foederis, sed Angelum quendam creatum, Deum repraesentantem, intelligere volunt, ex quorum numero etiam Io. Clericus non est eximendus, quippe qui strenue hanc sententiam defendit, et tanquam etiam dudum illa in Photinianis et Pontificiis a doctoribus Eccl. ex. pl. o. l. o. l. a.

explosa et reiecta fuit, tamen crambem istam, vel centies coctam, iterum nobis apponit. Sed, cum Criticus noster nihil novi afferat, eadem quoque argumenta, quae ab aliis iam saepius sunt adducta, repetere nobis erit permissum. Nimirum, quod per Angelum Iehovae ipse Deus sit intelligendus, probamus exinde, quia tribuitur huic angelo nomen יהוה *essentiale*, quod nullibi, sive incomplexum, sive in complexu sit, quam summi et essentia Dei est. Deinde alibi appellatur יהוה *Iehova*, qui apparuit Mose. Nec longe abeundum est; Nam v. 4. Iehova loquitur, et v. 6. dicit: *Ego Deus patris tui etc.* Ex tota etiam oratione patet, neminem, praeter Deum sic loqui posse, aut, quae dicuntur, sibi tribuere. Vid. B. Aug. *Varenius*, Comment. h. l. Sed num Moses in igne viderit aliquod simulacrum, illud forte dubium esse cuidam poterit? Nam dicitur, quod ipsi apparuerit in flamma ignis Iehovae. *Philo* hanc visionem ita describit, Lib. I. de Vita Mosis: *κατὰ δὲ μέσσην τὴν φλόγα μορφή τις ἦν περικαλλεστάτη τῶν ὁρατῶν ἐμφερῆς ἔδει, θεοειδέστατον ἀγαλμα, φῶς ἀνυροειδέσπερον τὸ πρὸς ἀπασράπτουσα, ἢ ἂν τις ὑπετύπησεν εἰκόνα τῷ ὄντος εἶτε.* *E medio promicabat forma quaedam pulcherrima, nulli visibili similis, divinum simulacrum, luce fulgens clarissima, ut suspicari possit, an esset imago Dei.* Sed forte e gentilium more id recenset, ex Scripturae verbis illud exsculpi neutiquam potest. Nam Angelum quidem Iehova ex rubo ardente loquentem audivit: at vidit Moses nonnisi rubum ardentem, et non comburentem; admiratus quidem et opinatus, subesse mysterium; at nondum scivit in illo ita praesentem Deum: non accessurus, si scivisset.

S. XIV.

Inopinatum itaque, et plane stupendum Mose, greges pascenti, contigisse hoc ὄραμα, ipse satis exprimit: tum per verbum וירא *et vidit*, tum per והנה *seu demonstrativum ecce*; repraesentans Mosem subsistentem, et cum stupore rubum intuentem pariter ac admirantem. Rubus appellatur a Mose סנה *si LXX.* et Stephanus vocant τὴν βάρτον: *סנה Chaldaeus*

daeus. *Haggaon* breviter describit: סנה מין קוע i. e. *Sneh*
spinaram species. Nec aliter *Aben Esra*: מין קוע יבש Fuerit ergo
 dumetum sterile et fenticosum, quod avis citra deplumationem
 intrare non potuerit, a quo monti nomen Sinai. Non vacat di-
 versas rubi species prolixè recensere, quarum praecipua vocatur
 βάρ, quae fructum producit non multum a fructu mori figura
 differentem; Praeter hanc dantur duae aliae, χαμαίβαρ, et
 κινόσβαρ, distae, quae rosas producunt. Apud *Dioscoridem*
 Lib. IV, 39. etiam mentio fit cuiusdam rubi, quae dicitur βάρ
 ἰδαία, *rubus Idaeus.* Hoc exponam, quomodo verba intelligenda
 commate הסנה לא יבער מרוע quae contrariari videntur ei,
 quod antea dixerat v. 2. הסנה בער *rubus ardebat.* *Clericus* id
 vitio vertit linguae Hebraeae, illiusque ambiguitatem ex eo
 ostendere conatur. At satis docet contextus, verbum, quod
 ibi est in notione simplici *urendi*, hic stare in composita *com-
 burendi*, vel *consumendi*, ex more radicum Hebraicarum, quae
 supponunt pro subordinatis. Idem ergo hic est, quod מרוע
 הסנה לא יאכל i. e. *cur non comburatur rubus.*

§. XV.

Ceterum, quid insolita hac visione significatum fue-
 rit, inter interpretes non convenit. *R. Aben Esra* dicit: signum
 hoc respicere statum Israelis in Ægypto; rubum, scilicet, esse
 Israelem, Ægyptios ignem, qui urant Israelem et premant:
 sed non comburant, vel opprimant. Et ita reliqui omnes
 sentiunt, *Abarbenel*, *Bechai*, *Philo* et *Iosephus*. Etiam in-
 terpretes Christianorum, paucis exceptis, eo collimant. Pa-
 tres tamen plerique visionem ad mysterium incarnationis
 Christi referunt, quod rubus sit humanitas nostra; ignis
 Deus, cui per incarnationem sit coniuncta, non consumpta;
 vel, quod rubus fuerit sancta virgo, ignis Sp. S. qui in ea for-
 mavit humanum corpus, illaesa virginitate. Sed mittamus
 haec ἀλληγορέμενα.

§. XVI.

Quam horridum hoc spectaculum, tam audax Mosis erat
 inceptum, propius accedentis, nec, illud penitus contemplan-
 di,

di, sibi temperantis. Nam dicebat, אָסֶרָה נָא וּרְאֵהָ, i. e. *recedam nunc, ut videam*. Quomodo autem recedens vidit, qui ad grande mysterium accedere voluit? Respondetur, verbum סור hic non notat *recedere*, sed *accedere*. Notanda enim est regula hermenevtica: quoties post סור sequitur particula מן toties notat *retrocedere*. Ut Deut. XI, 16. 2. Sam. II, 21. Gen. XLIX, 10. At, si sequatur, vel particula אֶל, vel sine illa verbum extat, involvens tamen terminum ad quem, notione *accedendi* et *ingrediendi* venit. Sic Gen. XIX, 2. 3. Iud. IV, 18. Alii dicunt in verbo *recedendi*, intelligi subordinatum *accedendi*, idque fieri קצרה ררך *brevitatis causa*. Ita *Raschi* interpretatur, nec incommode. Sensus enim hic est: *recedam ex hoc loco, et propius ad visionem illam magnam accedam*.

§. XXIV.

Cernens autem Dominus, quod pergeret ad videndum; appellat eum nomine suo, idque iterato: *Mose Mose!* Verba nectuntur in fonte rapidissime per coniunctivum accentum, ad exprimendum rapidissimum illius clamantis in deserto Angeli Iehova sonum: plane uti alibi, *Abraham, Abraham! Iacob, Iacob!* Audito nomine suo, prompte respondit, et paratum se ad audiendum declaravit. הֲנִי *hic sum*, inquebat. Miramur Mosis *πληροφροσιν*, ad vocem Dei non obmutescentis. Pauci enim fuerunt inter sanctos, qui, audita Dei voce, in visione aliqua perterriti non fuerint. Adamus, primus hominum, cum audiret מִתְהַלֵּךְ מִלְּפָנֵי קוֹל אֱלֹהִים *vocem Dei ambulantis*, rectius, *vocem Dei sonantem*, non tantum perterrefactus est, sed etiam abscondidit se coram Domino. Gen. III, 8. Esaias, vates divinus, cum audiret vocem Seraphim, clamantium, *Sanctus; Sanctus; Sanctus; Iehovah Zebaoth*, percussus dicebat: *Vae mihi, quia excisus sum*. Es. VI, 3. 4. 5. Idem fatum obtigit Prophetæ Ezechieli; cum enim gloriam Iehovæ in visione singulari videret, magno cum stupore cecidit super facies suas. Ez. 1, 28. Mofes vero solus in deserto, videns stu-

C

pen-

pendam visionem, audiretque vocem, nec videns loquentem; tamen promptissimo animo respondet; *Ecce me.* Quae erat causa? quod Deum habebat propitium, a quo extraordinario modo fuit erectus.

§. XVIII.

Felix insuper erat Moses, qui a Deo monebatur, ut propius accedere desisteret, et ob loci sanctitatem et venerationem calceamenta solveret. Tali felicitate non mastrabantur, qui ad Eliam veniebant, perducturi eum ad Regem. Ignis statim de coelo prorumpebat, eosque omnes sine ulla antegressa admonitione devorabat. 2. Reg. 1. 28. Sed quid sibi voluerit *discalceatio pedum.* Theodoretus animadvertit, et quidem recte, Deum hoc mandato voluisse Mosem ad se accedentem induere animum humilem, et ad omnia Domini vocantia mandata paratum. *Nudare enim pedes,* signum olim erat servitutis et reverentiae. Sic Esaias in signum captivitatis et servitutis populi, iubetur ambulare nudus et discalceatus, *Es. XX, 2.* Contra, de Synagoga accepta in sponsam, et a servitute liberata, dicit Deus: *calceavi te taxo.* *Ezech. XVI, 10.* Sed cur Deus eiusmodi ritum religionis a Mose postulabat, quem postmodum in Republ. Ebraeorum fuisse observatum non legimus. Io. *Clericus* arbitratur, „hoc praece-
„teris populis, munditici studiosos Aegyptios factitasse, et huic
„mori etiam hic se attemperasse Deum, ut Mose Aegyptiis mo-
„ribus assveto, reverentia maior iniiceretur. „ Verum, hac hy-
„pothesi admitta, multum sapientiae et sanctitati divinae de-
„trahitur, quasi Deus imitatus esset superstitiones paganorum,
eorumque inventa, ex corrupta ratione enata, approbasset, atque sic Mosem in superstitione sua confirmasset. Hoc potius dicendum, Satanam occasionem inde arripuisse, talia ad impietates, et superstitiones transferre. Unde apud Ethnicos *Nudipedalia sacra;* Calceos enim exuebant Gentiles, Apollinis templum ingredientes; ut refert *Nonius* et *Solinus* Lib. XV. Fuerunt etiam olim quidam Haeretici, *Nudipedales,* aut discalceati appellati, qui testibus *Philastrio* et *Hieronymo,* in eo magnam collocabant sanctitatem, si quis pedibus nudus
ince-

incederet. Iustinus *Martyr* in Apol. I. p. 95. Ethnicos passim furti incusat, quod dicta Hebraeorum furrupuerint, et eorum mores imitati sint, Daemonas hoc quoque aemulatos. Quae quidem Criticus, noster more suo sugillat, at parum solidi contra ea in medium affert.

§. XIX.

Iam Deus exorditur suam Orationem, et speciali modo se Mofi patefacit, iniecta mentione Patrum, quorum posteritas rationem habere volebat. *Ego sum Deus patris tui, Deus Abraham, Deus Isaac, et Deus Jacob.* Putat *Clericus*, summum Numen se vocare Deum patris sui, more Ethnicorum, quibus erant Penates publici et privati, seu patrii et paterni Dii. At vero haec sententia in tantum a veritate aberrat, in quantum constat, quod Deum cultus superstitiosi comprobatores et aemulum constituat, ipsique commercium cum paganorum impietate affingat. Appellat enim Deus se Deum patrum suorum, ideo, ut in memoriam ipsi revocaret singularem gratiam, quam eis exhibuit, animumque ad foedus attenderet, quod cum Abrahamo iniit, idemque cum Isaaco et Iacobo confirmavit. Quam etiam causam esse arbitror, cur trium istorum potius, quam aliorum meminerit. Hoc dictum allegat Christus in N. T. Matt. XXII. Marc. XII. Luc. XI. et pro τῆ ἀνασάσεις τῶν νεκρῶν exinde argumentatur est. Haec autem erat vis argumenti. Si Deus eo tempore, cum Abraham, Isaac et Iacob dudum mortui essent, fuit Deus non animae saltem Abrahami, etc. Sed totius Abrahami, Isaci, Iacobi, consequens omnino est, illos non ita esse mortuos, ut mors illis perpetuo dominetur; cum Deus, non sit Deus νεκρῶν, sed ζώντων. Atqui Deus est Abrahami etc. Ergo non sunt ita mortui, ut nulla parte iam existant, nec unquam sint existuri, seu iterum vivificandi. Vivunt ergo iam Deo, qui sunt resurrecturi die novissimo, ita ut sint κατὰ ζωθέντες τῆ αἰῶν ὁ ἐκείν τυχῆν, quemadmodum B. *Varenius* loquitur Comm. h. l.

§. XX.

Sed propèro ad causam apparitionis divinae, quam ἀποστολῆς declarat, verbisque ad consolationem aptissimis.

Primum testatur, sibi notam esse suorum miseram conditionem: *Vidi, audiui, cognovi*. Pondus singularis inest verbis. Primo dicit, ראה ראיתי את עני עמי *videndo vidi afflictionem populi mei*, quam emphasin, infiniti antecedentis verbum homogeneum, et סימן חזוק ואמונה Hebraeis dictam, egregie Stephanus expressit per *ιδαν ειδον*. Sed poruit saltem Deus videre afflictionem. Respondet: ואת זעקתם שמעתי *etiam audiui suspiria ipsorum*. Denique addit, ירעתי את מכאביו *cognovi dolores illorum*. Emphasin verborum ita exprimit *Varenius h. l. Vidi singularissime afflictionem eorum, audiui specialissime clamorem eorum, cognovi insissime dolores illorum*. Posthaec indicat Deus, in manu sua non solum esse remedium, sed etiam iuvandi voluntatem, cum potestate. וארר להצילו מיר מצריים *Descendi*, inquit, *ut liberem eum ex Aegypto*. Per descensum Dei in Script. innuitur, vel exercitium maiestatis Dei gratiosum, vel gloriosum. Sic in V. T. fuit descensus *Legalis*, isque *gratiosus*, Exod. XIX. *iudiciarius*, Mich. I. 2. In N. T. est *καταβάσις* una, qua verbum caro factum est, seu *gratiae*, Eph. IV, 10. Ioh. III, 13. altera *maiestaticae gloriae*, 2. Theff. I, 7. Descendit hic Deus non ad cognoscendum, ut Gen. XI, 3. 7. XVIII, 21. quia iam supponitur illud: sed ad exequendum et puniendum. Ut plurimum verbum hoc usurpatur, ubi de Deo iudice agitur, sive ad liberandos innocentes, sive ad puniendos iniquos; quae duo fere semper in uno et eodem iudicio concurrunt. Male autem colligit *Clericus*, hanc loquendi rationem et *ανθρωποπαθειαν* prodero Ethnicam originem, quasi Deus fanas et impias hominum opiniones sectatus fuisset, et eorum mores ac instituta observasset. Accommodavit quidem Deus se ad captum hominum, non vero vulgierroneum.

§. XXI.

Denique excitat Mosem ad capeffendam vocationem. Sed in hac vocatione multas Moses nescit difficultates. Primum examinat rei magnitudinem, et imparem se tantae rei agnoscit. *Quis ego sum*, inquit, *ut vadam ad Pharaonem, et educam filios Israel ex Aegypto*. Ex. III. v. 9. Modestiam Mosis non

non reiecit Deus, nec eum tanquam reluctantem reprehendit; sed de se humiliter sentientem erigit, et confirmat promissione gratiae suae. אהיה עמך *Ego ero tecum.* Quibus verbis omnia comprehenduntur, quae quis a Deo posuit expectare. Idcirco faepe ea locutio occurrit. Gen. XVIII. et Iud. VI, 12. Luc. I, 28 Ios I, 5. Instat Moses, et ignorationem nominis divini praetendit. *Ecce ego, ubi venero ad filios Israel, et dixerero illis: Deus patrum vestrorum misit me ad vos, illi vero dixerint mihi: quodnam nomen eius? quid dicam ad eos.* Jo. Clericus in ea opinione versatur, Mosem Aegyptiaca foeditate fuisse pollutum, adeoque more ipsorum, qui Diis suis nomina imponebant, interrogasse Deum de suo nomine. Eius verba adscribamus. *Quia, inquit, temporibus Mosaicis, multae naturae, e aequae diversissimi generis nomine Elobim indigebantur, potuit existimare Moses, cum Israelitis nondum diu versatus, Deum Israelis singulari nomine solere appellari, quod quaesivit, ut eo apud Israelitas uteretur. Homo in Aegyptiorum disciplinis institutus, nec dum propheterico lumine illustratus, errare e a in re, nec periculofo sane errore facile potuit. Deorum nomina ab Aegyptiis inventa fuisse prodidit Herodotus. Deorum ergo tempore Mosi, Aegyptii Deorum suorum nomina haberent, mirum non est, Mosem ab uno vero Deo, nomen quodnam esset, petiisse. Nihil novi Criticus observat, sed iam dudum ante eum Riberus, vir doctissimus, illud animadvertit, et hanc sententiam, ceu duriozem et odiosiorez, quam ut ipsi se probare possit, reiecit ac reprobavit. „ Non enim credibile est, „ inquit, in tanto Propheta fidem fuisse ita abolitam, ut veri, Dei, cui antea devote servierat, oblitus esset. Ne id qui, dem existimandum est de populo Israelis in Aegypto, qui, etsi dura servitute pressus, non vacavit cultui divino, ut par, erat, non tamen ita Dei Israelis oblitus est, ut immemor, esset plane nominis Dei et promissionum eius. „ Existimat igitur vir Clarissimus, per nomen Dei, in cuius noticiam pleniorz venire voluit, non intellexisse voces illas, quibus Deus se in verbo voluit appellari simpliciter: nec credendum censet, Mosem nunquam antea usurpasse vocem tetragrammaton, sed *instructionem, vel commissionem Dei* petiisse: quas*

quasi sensus esset. Sim legatus tuus, et nomine tuo loquar; illi autem me interrogaturi sunt de nomine tuo, id est, de mea instructione, vel commissione, itaque velim scire, quid sim responsurus, et qua ratione nomine tuo locuturus; ne aliquid de te proferam, quod a te non habeam. Et huic sensui favere responsionem divinam, **אֲנִי אֶשׂר אֲנִי** quae ad verbum significant. *ero qui ero*. i. e. noli curare, ego servabo, quod promisi.

§. XXII.

At enim vero, tametsi haec interpretatio non inconcinna esse videtur, tamen, cum sine exemplo sit, etiam contextui minus apta, ac intentioni dicentis repugnet, simpliciosem nos sequi nemo vitio vertet. Proinde arbitror, verba secundum nativum sensum ita esse intelligenda, scilicet, Mosem quaesivisse de nomine Dei, quo instinctu autem (motus, et qua de causa illud fecerit, iam intactum relinquo. Nam interrogationem eo spectare, verba ipsa docent, siquidem vox **שֵׁם** *Schem*, vix alia significatione in Scriptura occurrit. Alibi etiam eandem quaestionem instituunt credentes. Sic Manoa Angelum, annunciantem filii nativitatem, interrogat: *Quod nomen tuum? quum venerit verbum tuum, ut honoremus te.* respondebat Filius Dei: *quid quaeris de nomine meo, quod mirabile est.* Iud. XIII, 17. Eodem modo quaerunt credentes. *Quod nomen eius? (Dei) et quod nomen filii eius? si novisti.* Prov. XXX, 4. Pari ratione Moses ex pio affectu interrogat Deum; *quodnam est nomen tuum?* Deus respondit: **אֲנִי אֶשׂר אֲנִי** i. e. *ero, qui ero.* Quibus verbis Mosem tacite redarguit: quasi diceret, mirum est, quod quaeris de nomine meo, cum iam dixi, quod sim Deus Abrahami, Isaaci et Iacobi, is ero Israeli Deus, et semper ero. Itaque adhuc semel tibi dico: haec dices Filiis Israel, Dominus Deus Patrum vestrorum, Deus Abrahami, Deus Isaaci, et Deus Iacobi, misit me ad vos: hoc nomen mihi est in aeternum, et hoc memoriale meum, in generationem et generationem. Sic perspicuus est sensus, et nulla vis infertur verbis.

bis. Minime itaque verba eo trahenda sunt, quod Deus primum Mosi nomen Tetragrammatum revelarit, uti multi interpretum, ne Clerico quidem excepto, arbitrantur, quasi ante Mosem illud patribus incognitum fuerit. Nam de eo ne *γεῦ* in textu extat, neque ex verbis divinis id exculpi potest. Siquidem de toto titulo dicitur, quod hoc nomen ipsi sit in aeternum, et memoriale eius. Etiam Historia Sacra confirmat, nomen יהוה diu ante Mosem a Patribus et credentibus fuisse creditum, uti illud legitur Gen. XV. et innumeris aliis locis. Ipsa Eva exclamabat, filium Cainum in lucem edens, קנתי איש את יהוה *possedi virum Dominum*. Parum vero momenti habet, quod excipit Clericus, id in illis locis fieri per *περόληψιν*. Nam tamen concedamus, aliquando *προληπτικῶς* loqui Mosem, temere tamen illa in omnibus propositi onibus quaeritur, cum illud sit contra τὸ *πρότερον* Historici, multo magis divini scriptoris, qui ex inspiratione Spir. S. res consignavit suas.

§. XXIII.

Sed paucis quoque videamus sequentia orationis divinae verba, quibus plenius servum suum instruit Deus, aperitque consilium suum de liberando populo, atque exponit, quid coniunctim facturi sint apud Regem Ægypti, quid dicturi, quid petaturi, ut scilicet eis potestatem faceret exeundi. Simul quoque praedicat Pharaonis pertinaciam, ne animum despondeant legati, si initio res non succedat ex voto; sed pergant animose in incepto, freti Dei potentia. Tandem pollicetur, se usurum potentia sua, et mirabili modo, onustum spoliis inimicorum suorum, educiturum populum suum. Moses verbo Dei quidem non dissidens, attamen, cum rei difficultatem apud se perpenderet, consideraretque animum populi illius, verbis eius nudis non crediturum arbitratur: *non credent mihi, neque audient vocem meam, sed dicent: non apparuit tibi Dominus*. Ideo Deus non reiecit eius excusationem, sed instruit eum signis prodigiosis. Primum iubet, ut proiciat baculum in terram, qui in serpentem mutatur. Moses perterritus subito casu fugit;

git; sed iussus a Deo caudam apprehendit, reditque baculus in priorem formam. Quaesitum est, an vera fuerit mutatio baculi in serpentem, et serpentis iterum in baculum, aut imaginaria tantum? At posterius non est veritati consentaneum, Deum voluisse praestigiis ludere, maxime in hoc negotio tam arduo, in quo Moses ea debuit praestare, in quibus illusiones Daemonum confunderet. Deinde duobus aliis signis, quibus vocationem suam sit probaturus, tam Israelitis, quam Aegyptiis, eum instruit. Nam iubet, ut manum suam mittat in sinum, quae momento lepra inficitur. Iterum iubet, ut reponat, aut reducat manum in sinum, quae reducta, confestim restituta est in pristinam sanitatem. Insuper iubet Mosem, si non crediderint Israelitae, ut recipiat de aqua fluminis, et effundat eam super aridam, et vertetur in sanguinem. Iudaei de hoc baculo multa fingunt, pro solita audacia. Volunt in eo sculptum fuisse nomen מוסי una cum plagis, Aegyptiis inflictis, sicut legitur in libro vetustissimo, *Sohar* in Exod. Item nugantur, Mosem accepisse eum ex horto Iethronis, soceri sui, et Iethronem ex aula Pharaonis, in quam ex aedibus Iosephi delatus fuerit. Istum denique baculum in horto Iethronis terrae fuisse infixum, neminem que potuisse evellere, praeter unicum Mosem, cui ultro cessisset. Et quae sunt alia huiusmodi figmenta, quae lubens praeterero.

§. XXIII.

Moses adhuc renuens, se esse βεαδύλωπτον ait, et ad loquendum tardum, sive potius balbutientem. Respondet iterum benigne Deus Mosi, et ei hanc excusationem tollit duobus argumentis, quorum primum ducitur ab omnipotentia sua. *Quis fecit os hominis? aut quis fabricatus est mutuum et surdum, videntem et coecum? Nonne ego?* Secundum a praesentia gratiosa et efficaci, qua se affuturum Mosi profitetur. *Perge igitur, et ego ero in ore tuo: doceboque te, quid loquaris.* Sed nondum excusationum finis est, pergit adhuc Moses, et post retusas obiectiones de Israelitarum incredulitate, et de linguae suae impedimento, absolute petit, ut alii demanderur haec provincia. *Obsecro Domine, inquit, mitte, quem missurus es.*

Verba

Verba in fonte sunt concisa, et obscuritatē prae se ferunt: שלח נא ביד חשלה *mitte, quæso, per manum mittes.* Chaldaeus, שלח כען ביד מן דכשר למשלח *id est, mitte nunc, per quem decet, vel qui rectus, seu idoneus est ad mittendum.* Alii sic, *mitte, quemcumque volueris, modo ne mittas me, minus idoneum ad hoc munus.* Alii ad Messiam Mosem respexisse asserunt: *mitte per manum Messiae, aliquando mittendi.* Verum hanc interpretationem excandescencia Dei infecuta vix admittit. Alteram itaque tutiorem esse arbitror, quippe quae cum verbis textus, et luctantis Mosi affectu, quam maxime convenit. Tandem, cum Moses Deum iratum videret, in vocatione divina acquievit.

§. XXV.

Et hoc erat primum *ἄραμα*, quod Mosi iuxta hunc montem obtigit. Postmodum vero, cum ex Ægypto exiissent Israelitae, non procul ab eo castra posuerunt, ibidemque Deus longe clarioribus miraculis suam praesentiam confirmavit. Nam quantum miraculum erat, quod in monte Horeb factum, cum petra, a Mose percussa, aquas abundanter emitteret. Historia S. prolixius illud commemorat Ex. XVII. Profecti erant Israelitae de deserto *Sin* ad locum *Raphidim*, qui fuit locus aridus et siticulosus, qualia sunt pleraque in deserto Pharan, ideoque vehementi siti premebatur populus, ut cum Mose denuo contenderet, et seditionem adversus eum concitaret. Moses, ad Deum confugiens, opem eius imploravit. Et illico a Deo exauditus, iussus est ad populum redire, et cum spectatissimis quibusdam senibus vadere ad iugum Chorebi montis. Tum sumta virga mirifica, iussu et mandato divino, ad nubem, quae montis cacumen infidebat, contendit, atque illic virga rubem percussit, ut aquae catervatim profuissent, et in castra Israelitarum dimanarint. Non immerito quaeritur, quomodo miraculum factum fuerit, an aquae ibi fuerint in locis subterraneis, quae etiam canales habuerint et occultos meatus; an aliunde adductae subito miraculo, an in eodem loco creatae a Deo, definire non est nostrum. In eo

D

mira-

miraculum est manifestum, quod ubi nullae antea appare-
bant aquae, sine ullo humano labore, ad signum ictus baculi,
eruperunt e petra: ita ut verum sit, quod canit Psaltes. Pf.
LXXXVIII, 15. et Pf. CXIV, 8. Locus vero, ubi tentatus ab Israele
Deus, ex petra eduxit aquas, *Massa* et *Meribah* dictus est, seu
locus tentationis, et contentionis. Illius quidem, quia Deum ten-
taverant: huius autem, quia adversus Mosem contenderant:
illic oblivione et incredulitate: hic calumniis et iurgiis, ut ex
ipsa facti narratione constat.

§. XXVI.

Sed *en belli miraculum*, hoc non inferius, quod eodem in
loco a Mose peractum fuit. Accidebat enim, ut Amalek in Ra-
phidim a tergo Israelem iniuste et inique adoriretur, et Israelita-
e iussu Mosis pugnam inire, seque ad bellum parare, coge-
rentur. Quo vero confidentius hostes aggredere parare, coge-
rentur. Mosis, se in vertice collis, non solum spectaturum, sed etiam
animaturum populum, intenta Dei virga, tanquam vexillo.
Israelitae hostem imperatore Iosua adoriuntur, sed, ut anceps
fortuna belli, ita in hoc conspectu variae erant vicissitudines,
victoria inclinante, vel ad partes Israelis, vel ad partes Amaleki-
tarum. Nam Mose attollente manus, praevalent Israelitae,
demittente, Amalekitae, donec continuo sublatis et susten-
tatis lapide manibus Mosis, victoria antea dubia plene cessit
Israelitis. Hic quaeritur, quatenam fuerit illa exaltatio ma-
nuum Mosis? Plerique eam retulerunt ad ritum precantis;
quia solent etiam precantes attollere manus coelum versus. Ve-
rum, tametsi non negarim, Mosem cum comitibus preces con-
cepisse, et Deum inclamasse, ut iustae populi sui causae faveret:
aliud tamen quid hic significare *erectionem manuum cum baculo*,
valde mihi persuasum habeo. Nimirum Mosem instar vexilliferi
protenso baculo elevasse manus coram populo, et signum il-
lud respicientes victoriam e coelis expectasse. Hunc enim
fuisse modum elevandi manus, ex textus circumstantiis omni-
no colligitur. Nam antea dixit Mosis, se consistere velle in ver-
tice montis, cum baculo Dei in manu sua. Postea autem ipse
Moses

Moses v. 12. erectum altare, appellavit *Iehovam vexilli sui*. Ideo autem hunc portentosum baculum attollebat, ut pugnantes Israelitae cogitarent de potentia divina, in eamque toti recumberent. Ut ergo posset Moses sufficere huic negotio, duo illi comites primum ipsi sedem parant; deinde fatigarum sublevant, et fulciunt manus eius, *unus hinc, et inde unus*, ut habet textus de verbo ad verbum, quod Vulgata dicit *ex utraque parte*. Sed, an ambabus manibus ad ritum precantium baculum sustulerit, an illum tenuerit, mutante ex una manu in aliam, illud ex textu determinari non potest. *Rivetus* posteriorius approbat, et putat, viros illos duos alternis sustentasse manus Mosis; ita ut Mose subinde baculum mutante ex una manu in aliam, quisque a sua parte iuvaret eum. Alioquin si ambo eodem tempore sustinuisent Mosis manum, sine ulla intermissione potuissent etiam ipsi fatigari.

§. XXVII.

Illustre hoc belli miraculum postmodum, mandante Deo, in acta publica referebatur, et factum, seu beneficium, confirmabatur *signo altaris erecti*, cum inscriptione, *Iehovah Nissi*, tanquam aeterno belli huius monumento. Vocem נס verterunt *δὲ LXX. καταφυγήν μου, confugium meum*. Chaldaeus, מנסר, Münsterus, *miraculum meum*. Iunius et Tremellius, *vexillum meum*. Sed נס est *signum*, quod pertica attollitur, ut copiae ad id concurrant; quomodo signum Legionis apud Romanos fuit *aquila*. Vide etiam Num. XXI, 9 Pl. LX, 6. Es. V, 26. XI, 12. XLIX, 22. Itaque נס distinguitur a נגל illud scilicet erat *signum* in vexillo, נגל autem rectius *vexillum*, proprie flamula, velum, expansum ad hastam, dicitur. Alludere videtur Moses ad *virgam Dei*, qua, signi militaris instar, sublati, victi fuerant Hama-lekitae. Hac vero nomenclatura insinuat populus, Iehova sibi in illa cum hostibus militia, instar militaris fuisse signi, in quod unice intenderit fides bellantium. Verba autem כו יד על כס יה obfcura sunt, et crucem interpretibus figunt. LXX. Intt. habent: *ὅτι ἐν χειρὶ κρυφαία πολεμει κρυπτός* i. e. *quia manu occultata*

ea pugnavit Iehova. Vulgatus: *quia manus solii Domini.* Onkelos
 iuramenti ritum hic latere suspicatus. Alii interpretes sic,
 quasi Moses dicat: *quia manus mea est ad thronum Dei, erit
 bellum Iehovae.* Tremellius, quem Clericus sequitur, ita: *quia ma-
 nus eius (sc. Hamaleki) fuit contra solium Iab, (propterea) bellum
 αὐτοῦ πῶδον erit Domino in Hamalekum, de aetate in aetatem.* Qui
 sensus videtur esse commodus, et intentioni dicentis quam
 maxime congruus. Coniectura autem, quam in medium af-
 fert Clericus, nempe, pro **וַיְבֹרֵךְ**, legendum levissima muta-
 tione **וַיְבֹרֵךְ**, hoc est signum, ut sensus sit: *quia contra signum
 Iehovae fuit manus: nempe Hamaleki, erit bellum Iehovae in
 Amalekum:* Script. integritatem et incorruptibilitatem evertit,
 ideoque, ceu angve peiorem, fugiendam esse arbitramur.

§. XXVIII.

Missis tandem his, pergimus ad eam *θεοφάνεια*, qua
 Iehova Legem suam in hoc monte populo Israelitico pro-
 mulgavit, quae omnium maxima et plane terribilis fuit. So-
 lennis erat eorum praeparatio. Nam sanctificare se debebant,
 et lavare vestimenta, nec appropinquare uxoribus, ut in diem
 tertium essent parati. Iussit etiam terminos montis consti-
 tuere, ne de populo quisquam eum ascenderet, aut manu
 tangeret, addita comminatione poenae capitalis. Solennis
 erat ipsa *θεοφάνεια*. Nam post haec, die tertio descendit Ie-
 hovah in igne, et mons Sinai totus fumat, fulgura fre-
 quentia cernuntur, tonitrua et ingens tubae sonitus audi-
 untur, et montis cacumen densa nube obnubilatur: quibus
 rebus summo opere per castra territi sunt Israelitae. Tum
 ex cacumine montis, quod nube tectum erat, Mosem ad se
 vocavit Deus, qui cum propius accessisset, iussus est ite-
 rum populum monere, ne intra interdictos fines irrumperet,
 et morte periret. Posthaec Deus de monte Sinai clara voce
 verba Decalogi ad populum Israel pronunciat, ut omnes, qui
 ad radices montis erant, ea exaudirent. Populus vero voce,
 quae ex nube prodibat, perterritus, Mosem mediatorem petit
 et impetrat, cui Deus tum cultum falsorum Deorum prohibet,

stru-

structuram altaris sui temporarii praescribit, variasque Leges
 Forenses dat, quae Ex. XXI. XXII. XXIII. recensentur. I. De
 servo Hebraeo. II. De filia in ancillam vendita. III. De homici-
 dio et parricidio. IV. De plagis. V. De maledicente patri, vel
 matri. VI. De percussione viri lapide, aut servi, vel ancillae,
 mulieris gravidae. VII. De bove cornupeta, aut in foveam
 incidente, aut furto ablato. VIII. De fure in perfossione depre-
 hensio. IX. De restitutione furti. X. De depastione et incendio
 agri, vel vineae. XI. De deposito, argenti, aut vestis, aut bestiae.
 XII. De commodato. XIII. De virgine ad stuprum persuasa.
 XIV. De praestigiatrice, bestiario, idololatra. XV. De pere-
 grino, vidua et orphano. XVI. De mutuo et pignore paupe-
 ris. XVII. De non maledicendo Deo aut principi. XVIII. De
 primitiis et primogenitis. XIX. De discernito in agro. XX. De
 vitanda in iudicio vana fama, et communione cum impiis.
 XXI. De bove inimici errante, et asino succumbente. XXII.
 De non stendendo iudicio, vitando mendacio, non occidendo
 iusto, non accipiendo munere. XXIII. De peregrino. XXIV.
 De Anno septimo intermissionis, et Sabbatho, XXV. De diis
 falsis non nominandis. XXVI. De tribus anni festis. XXVIII.
 De sacrificiis et primitiis.

§. XXIX.

Cum ergo Moses memoratas leges a Deo accepisset, ad
 populum rediit, omniaque verba et iudicia Iehovae ei expo-
 suit, quibus totus Israel obedientiam praestaturum spondet.
 Moses vero omnia diligenter in tabulas retulit, ut quoties o-
 pus esset, ad ea confugerent, nec quicquam addere, vel au-
 ferre, aut vitiosa interpretatione aliquid depravare praesume-
 rent. Posthaec sub ipsis montis radicibus altare exstruxit, et
 duodecim grandiora saxa circumquaque, quod duodecim
 Hebraeas Tribus referrent, disposuit. Aliqui arbitrantur, ex
 his duodecim lapidibus fuisse constructum altare, sed hoc mi-
 nus probabile est, quia textus aperte distingvit inter altare,
 et duodecim illos titulos, *aedificavit altare, et duodecim sta-*
tuas; His ita peractis, solenniter foedus sancitur cum Deo,

holocausta, et salutaria sacra, vitulis mactatis, offerrebantur ab adolescentibus, qui sacerdotio, antequam in Aaronis solius familiam conferretur,ungebantur. Moses vero sanguinem in duas partes divisit, unam fudit super altare, alteram reservavit, qua populum aspergeret. Tum ex libro leges a Deo acceptas, clara voce, audiente populo, recitavit; iterumque populus iis legibus pariturum se pollicitus est. Quo facto, Moses, dimidia parte seposita, adpersit populum, verba addens: *hic est sanguis foederis, quod pepigit Dominus vobiscum super omnibus hisce legibus*, id est, hoc sanguine sancitur foedus, quod Deus Opt. Max. vobiscum hodie in leges recitatas facit.

§. XXX.

Peractis hisce ritibus, Moses, cum Aharone, Nadabo, Abihu, Iosua, et Septuaginta ex ornatisimis Israelis senibus, ad iugum Sinai ascendit, quo Dei gloriam in clara luce vident, iisque una cum Mose propius, quam ceteris, accedere, et sine noxa abire licuerit. Postea vero Deus solum Mosem iussit propius accedere cum Iosua ministro suo, ac, prius iussis Israelitarum senibus ad castra redire, septimo demum die e media nube eum vocavit solum ad summum verticem montis, quem cum ascendisset Moses, in media nube, per quadraginta dies et noctes, una cum Deo illic egit, et cum *tabulas lapideas*, quibus inscriptus erat Decalogus, tum *Leges Ceremoniales*, quae ad cultum Leviticum et extruendum habitaculum imprimis spectant, accepit. Eae recensentur Exod. XXV. XXVI. XXVII. XXXIX. XXIX. XXX. Et quidem Ima agit de structura arcae foederis, et ad eam pertinentibus. II. De mensa panum propositionis. III. De candelabro. IV. De habitaculi aulaeis et appertinentibus, afferibus et ad eos pertinentibus, velo ante arcam foederis, eiusque loco et positu, et tegumento ostii tentorii. V. De structura altaris holocausti. VI. De structura atrii et pertinentium ad illud. VII. De conficiendo oleo pro candelabro. VIII. De vestibus sacerdotalibus. Et quidem Aaronis, quae sunt (α) Ephodum cum requisitis. (β) pectorale iudicii et quae ad illud pertinent. (γ) Pallium Ephodicum simbriis

bris et tintinabulis. (δ) Braecia sanctitatis cum cidari. (ε) Tunica tessellata cum baltheo. Deinde Filiorum Aaronis, quae sunt tunica, balthei et tiorae. Pro utrisque femoralia. IX. De sanctificatione Aaronis, filiorumque eius. X. De expiatione altaris magni, holocausto quotidiano, seu iugi. XI. De altari suffitus, et quidem structura, loco et tempore suffitionis, suffimento et expiatione. XII. De Therumah dimidii sicii. XIII. De faciendo labro et lotionem ex eo. XIV. De oleo unctiois, eiusque usu. XV. de compositione suffimenti. Quae omnia speciatim essent consideranda, nisi limites Dissertationis nostrae transgredierentur. Unicum illud, quod de Tabulis Legis notat Moses, expendam, cum dicit, eas fuisse *opus Dei et Scripturam Dei*. Ex. XXXII, 6. Q. Utrum earum concinnatio et scriptura fuerit a Deo immediate, nec ne? Nonnulli arbitrantur, Deum scripsisse authoritative et disitandis; Mosem autem ministerialiter et figurando. Sed sic de tota Scriptura valeret. Hic vero singulare quid innuitur; ideoque dicuntur *Scriptae digito Dei*. Ex. XXXII, 24. id est, nullo adhibito instrumento externo, nullo artificio humano; atque sic divinitus sunt exaratae.

§. XXXI.

His Legis Tabulis Moses a Deo dimissus montem descendit. Cum vero propius castris accederet, vidit populi idololatricam, et ex heroico quodam zelo non potuit se continere, quin Tabulas a Deo scriptas in terram proiectas confringeret. Dicere non possumus, sanctum virum, prius ignarum abominationis illius, inopinato ita fuisse correptum. Id enim, revelante Deo, antea noverat, imo in precibus suis iram Dei a suis averterat. Nec ideo certe, quod Deo non crediderit, priusquam videret. Id enim multo minus de Mose Θεοφορεμένῳ cogitandum est. Sed pium illud peccatum, quod auditu fuerat percussum, multo magis visu permovebatur, ita ut zelus divinae gloriae eum abripuerit, et quod pretiosum in manibus habebat κειμήλιον corruerit, et aspectante populo frangerit, quo ostenderet, indignos esse tanto Dei beneficio, qui primum illius Legis praeceptum adeo turpiter ausi fuissent infrin-

infringere. Quidquid sit, Moses, qui alia sua peccata non tacuit, nullibi dicit se ob hoc factum in divinam reprehensionem incurrisse, ne quidem, cum de Tabulis instaurandis agitur. Ex quo licet colligere, nullo modo factum illud Deo displicuisse.

S. XXXII.

Ex eodem fonte profectum non dubitamus, quod vitulum opere fusorio, ignis opera conflatum, iterum igne combusserit, spectantibus idololatriis, et ne vestigia ulla illius idoli remanerent, minutissimas illas partes in profluentem coniecit. Quærent Intt. quare Israelitæ Iehovæ simulacrum vitulinum statuerint, et multi multa futilia hanc in rem scripserunt, quæ ad incudem revocavit incomparabilis Philologus, Sam. Bochartus in Hierozoico P. I. L. II. cap. 34. Dubium non est, ex Ægyptiorum Idololatria traxisse hoc Israelitas, cum constet eorum animalium simulacra in Ægypto fuisse culta, uti ex Graecis Scriptoribus fuscè probat antea laudatus Autor. Dicitur a Mose עֵבֶל *hbege* quæ vox proprie non *vitulum* significat, sed *juvencum*, sive vitulum palustris aptum, quemadmodum accipitur Lev. IX. 1, ubi Aaroni iniungitur, quod accipere debeat vitulum in sacrificium pro peccato. Ad hoc vero bos trium annorum requirebatur, uti Scriptores Iudaici omnes, uno ore, cum Maimonide adfirmant. Accedit, quod Psaltes vocem עֵבֶל exprimat פֶּרֶשׁ *bovem* Psalm. CVI, 20. Ad similitudinem itaque *Apis*, vitulum Aaronis fuisse confectum nulli dubitamus. Notat Lactantius Firmianus, Hebræos ad profanos Ægyptiorum ritus conversos Apin coluisse, quando vitulum, vel bovem erexerint. Eius etiam facinoris reus fuerit Ieroboamus, quando in *Bethel* et *Dan* huiusmodi imagines, Apin Ægyptiorum repræsentantes, instituerit, sicut refert Laurentius Pignorius, in Characteribus suis Ægyptiacis. Ita autem depingitur *Apis* Ægyptiorum, quod bos fuerit nigro corpore, candida fronte, in tergo alba nota insignis, duplicibus pilis in cauda, et

m

in lingua cantharo, sive scarabaeo notatus, iuxta *Lactantium* L. IV. c. 10. et *Alexandrum ab Alexandro*, Genialium dierum Lib. VI, 1. 2. Quamvis vero Iudaei non intenderint colere *Apin*, seu bovem Aegyptiorum: tamen cum Deum verum sub simulacro isto adorarent, gravissime contra mandatum divinum peccarunt, et, ad vitulum prolapsi, idololatria nefanda se contaminarunt. Sed instet quispiam, attamen ipsi Israelitae exclamant: *אלה אלהך ישראל אשר העלוך* *hi sunt Dii tui, Israel, qui te eduxerunt*, uti quamplurimi interpretum vertunt. Verum, ut nihil dicamus de eo, quod Aegyptii ipsimet in uno bove, non nisi unum Deum coluerint, hoc saltem in animum revocemus, *Leborae* foli, uti constat ex v. 5. nulli alii Deo, consecratum hoc fuisse signum. Nec obstat verbum *ילכו* *ielechov eant*, nam etiam ubi sermo est de Deo uno, quandoque verbum in numero multitudinis sequitur, ut Gen. XX, 13. XXXV, 7.

s. XXXIII.

Sed paulo difficilior est quaestio, qua quaeritur, quomodo Moses vitulum comburere, et in pulverem molendo redigere potuerit? *Rivetus* putat, probabile esse, postquam Moses igni in massam vitulum conlasset, mola aut lima curasse, ut in pulverem redigeretur per vehementem affricatum. At sic inferitur vis verbis Mosis. Nam *נכך* *nasach* notat liquefacere; *שרף* vero comburere. Sic *יִיבְחַן* *iibhan*, non potest exponi de comminatione, quae lima fit, cum illud usui Linguae S. repugnet. Ideoque *Io. Clericus* verba Mosis ita intelligit: primum aurum igne calcinatum, ut loquuntur artifices, deinde commolitum et in pulverem redactum, ac tandem aquae admixtum. Et forte Mosis haec ars coquendi aurum nota fuit, quippe qui in Aegyptiorum Philosophia instructus, etiam artem chymicam, tum temporis apud illos maxime florentem, haud dubie excoluit. Veruntamen quacumque demum ratione id factum sit, sufficit, quod testatur Scriptura, vitulum ita a Mose fuisse destructum, ut in cineres et pulverem penitus

E

tus

rus fuerit redactus. Quid autem de pulvere illo factum est? Textus originalis ait, illum sparsisse Mosem *super facies aquarum, et adaquasse filios Israel.* Quibus verbis non innuitur, quod unicuique eorum ex poculo aquam illam propinaverit, ut quisque vituli illius partem biberet. Nam tantae multitudini pulvis iste, etiam in maxima quantitate, non sufficisset. Sed cum torrens e monte descendens delaberetur in castra Israelitarum subiecta, nec alia esset in his locis aqua, ideo dicitur, Mosem, ex eo pulvere torrenti inaspero, potum dedisse filiis Israel, uti signatis verbis id docetur Devt. IX, 21. Fuit itaque Symbolica potio, qua Moses indicare voluit, nihil amplius esse idolum hoc vitulinum, quam cibum, vel potum, qui inter vescentium viscera receptus, in finum abiit. Plura videantur apud *Seldenum* de Diis Syris. Synt. I. c. 3. *Horingerum* in Idolographia.

§. XXXIV.

Tot et tanta miracula temporibus Mosis in hoc monte Deus patravit, ut fama eius tum ad circumiacentes, tum remotas et longe distitas regiones transfierit. Neque post secula ista minus fuit celebris, quin saepe divini homines illic sunt peregrinati, et sanctitatem loci coluerunt. Id quod de Elia, Vate divino, in Scriptura legimus 1. Reg. XIX, qui, ob persecutionem Jezabelae territus, ad *Sinaeum montem* se recepit, et ingressus specum quendam per noctem ibi adfuit. Allapsa deinde ad aurem eius voce, incertum, unde profecta, percontante, quamobrem relicta urbe desertum coleret; ait, se occisis externorum deorum vatibus demonstrasse populo, quod unicus sit Deus, qui ab omnibus coli debeat, et ob id factum ad supplicium se a regina expeti. Mox eadem voce iussus in crastinum sub divum prodire, et, ecce, Dominus praeteribat, et post eum procella, rumpens petras et omnia evertens, sed Dominus non erat ibi. Postmodum et terrae motus ibi eius aures percutit, nec Dominus in eo. Tum oculis se candens ignis fulgor obtulit, neque sic Dominus in eo: secutoque mox silentio divinaque voce redire in terram
Israe-

Israelis iussus est, neminem enim inimicorum futurum illius
 compotem. Admiranda hæc erat revelatio divina, quæ Pro-
 phetae Eliae obrigit. Quid vero illa significatum fuerit, dis-
 quiritur. *Grotius* existimat, admoneri hac visione Eliam, ut
 sibi ab ira nimia caveret, ad quam natura suapte ferebatur.
 Quem ex merito castigavit ὁ πᾶν *Calovius*, in Bibliis Illust. h. l.
Non satis pia, inquit, *tanti Prophetæ, et intempestiva reprehensio*,
quam ab inimicis suis, Iesuitas indigito, didicit Grotius. Ita enim Corne-
lius a Lapide: Voluit Deus Eliae Zelum moderari, ut non fieret
ex ira et perturbatione animi, qualis erat in Elia, sed ex leni-
tate, et amore iustitiæ. Sed gubernatum a Spiritu Dei Eliam,
quomodo regebatur, siquidem plenus fuerit Sp. S. etc. Alii Evange-
 lium hoc ipso significatum esse autumant, quod non venit
 ex vento, terræ motu, fulminibus, ut lex, Exod. XIX, 16.
 Ebr. XII, 18, 19, 20, 21. sed cum magna lenitate. Haec est
 illa ἀνωθεν σοφία, εἰρημική, ἐνπειθής, μεση ἑλέσς. Iac. III, 17.
 Quam in rem scribit *Irenæus*, Lib. IV. cap. 37. *Domini adven-*
tus significabatur post legem, quæ data est per Moysen, mitis et
tranquillus, et regni eius mitis et mansueta requiescit. Alii vero
 ita explicant, Deum auribus Eliae offerre levem auram, sive
 spiritum et sibilum, repræsentantem se, et suam clementiam,
 ac patientiam et longanimitatem ad punienda peccata. Sic
Tertullianus Lib. de Patientia Cap. 15. *Sedet in throno Spiritus*
eius (id est Dei) mitissimi et mansuetissimi, qui non turbine glo-
meratur, non nubilo livet, sed est teneræ serenitatis apertus et
simplex, quem tertio vidit Elias: Nam ubi Deus, ibi et alumna
eius, patientia scilicet. Et *S. Macarius*, Homil. VI. Ecce, in-
 quit, *vox auræ tenuis, et in ea Dominus. Liqueat ergo, quod*
quies Domini sita est in pace et tranquillitate. Et hæc inter-
 pretatio, cum Scripturæ conformis, ac contextui, et analogiæ
 fidei quam maxime consentanea sit, a nobis merito apprehen-
 ditur et comprobatur.


§. XXXV.


Ut vero ad nostra tandem tempora devēniamus, hic
 mons religiosus maxime fuit habitus a Monachis, qui non
 E 2 folum

solum crebro periculofas peregrinationes religionis causa
 susceperunt; sed etiam monasterium ibi, in honorem S.
 Catharinae, virginis, ob Christi nomen passae, ibidemque de-
 functae, extruxerunt. Testis est Io. Boccatus, de Monti-
 bus f. 138. *Venerabilis, inquit, plurimis ex causis est. (sc. mons
 Sinai) In hoc lex Mosi ab ipso Deo data est: cuius virga divino
 opere in serpentem conversa est: et mox in virgam: cuius manus
 leprosa et demum sana est facta. Ex petra huius virgae idu aqua
 excerpta est: et ne cuncta vetustiora recitem, novissimae Catha-
 rinae virginis et ob Christi nomen passae corpus, post supplicium ex-
 anime, a divinis ministris in summitatem delatum, atque pie
 tumultatum est. Monasterium ad Chorebi radices est ere-
 ctum, et amoenitate, aliarumque rerum, ad vitae sustentatio-
 nem necessariorum, copia abundat. Fidem huius rei facit
 P. Belonius, Lib. II. cap. 63. Monasterium aqua abundat, rivus
 enim ex monte desluens Monachorum cisternam replet aqua limpi-
 da, frigida, dulci, denique optima etc. in vallibus Sinai sunt amoe-
 nissima nemora; ibi colunt vites, seruntque legumina et olera, ut
 brassicas, lactucas, betulas, cepas, allia, porros, aliasque vulga-
 res herbas. Arborea etiam frugifera, variorumque generum illic
 habent, et potissimum Amygdalas. Plura hic congerere non
 vacat, neque omnia Itineraria perlustrare, eaque exscribere
 nostri est instituti. Qui vero haec talia legere desiderat,
 adeat, quos saepe numero citavimus, autores, et, si qui sunt
 plures. Nos operi finem imponimus, Deoque pro-
 praestito et hac vice auxilio decentes agi-
 mus gratias.*

ERRATA.

§. 9. pro *sitam* lege *sita*. §. 14. pro *audiretque* lege *audiensque*. §. 21. pro
Deorum lege *cum*. §. 25. pro *rubem* lege *rupem*. §. 14. pro קרע lege קרן





Umg VI 16

ULB Halle 3
002 061 678



6517
sb

Z







9.

Q. D. B. V
AVSPICIO RECTORIS MAGNIFICENTISSIMI
SERENISS. PRINCIPIS REGI
FRIDERICI AVGVSTI
DE
MONTE SINAI
ΦΗΛΑΦΩΜΕΝΩΙ ΚΑΙ ΚΕΚΑΤΜΕΝΩΙ
ΠΤΡΙ
PRAESIDE
M. PAVLO BERGERO
FAC. PHIL. ADI.
DISSERET
IO. NICOLAVS HOFFMANNVS
BEYERSDORFFA - FRANCVS
A. D. VI APRIL. c15 15cc VII

VITEMBERGAE SAXONVM
PRELO GERDESIANO